

τους, καὶ οἶονεῖ ποκοειδεῖς τὰς ἐννοίας καὶ ἀμαλάκτους  
Φέροντος, κ. τ. λ. Testimoniorum Aeschyli magnilo-  
quentiae et ἀτοπίαις finem faciat Epigramma:

Αἴσχυλος ἐξύψωσεν, ὃ μὴ σμιλευτὰ χαράξας,  
Γράμματα χειμάρρῳ δ' οἶα καταρδόμενα.

Id minus vim orationis Aeschyleae infringebat, quod  
Dialectum Atticam recentiore ei inculcarent, puta-  
rentque eum omnia ad eandem normam dixisse, res,  
a poetis, qui ingenio, non studio philologico Alexan-  
drinorum instar, sunt poetae, alienissima. Sed ab Her-  
manno Aeschylum in pristinam formam quantum fieri  
potest restitutum summo jure exspectari, recensio textus  
Agamemnonis, in Humboldtii versione Germanica,  
opere praeclarissimo, expressa, satis probat.

Restitutioni textus solummodo intentus, a consilio  
meo nimis alienum putavi, de compositione fabulae  
agere, Aeschylumque cum Sophocle et Euripide, qui  
eundem argumentum tractarunt, comparare, id quod  
paucis verbis non ita fieri potest, ut fructum aliquis  
inde capiat.

Eumenidum editio parata librarioque tradita est.